ribus negat ſequi tot fore ſpecies, quot individua, quia per adventum differentiarum individualium à natura cujuſcunque individui aufertur aptitudo proxima eſſendi in multis numero diſtinctis, quæ requiritur ad rationem ſpeciei. Quæ ſolutio non eſt admittenda, quia non ſaltem remaneat aptitudo remota, poterit quælibet natura ſaltem remotè fundare diverſas ſpecies, quod eſt falſum; ut enim poſſent fundare ſecundas intentiones diverſarum ſpecierum opus eſſet, ut natura unius individui, ſcilicet Petri poſſet eſſe in multis pluſquam numero diſtinctis, à Paulo, & Joanne, undè cùm nequeat eſſe niſi in multis individuis ſpeciei humanæ, nequit fundare niſi intentionem iſtius ſpeciei, & non alterius.

Neque ſequitur ſecundum abſurdum, ſcilicet, Paulum, & Joannem inter ſe ſpecie diſtingui, quia ut notat Tromb. cit. cum aliis Scotiſtis aliquid habere unitatem formalem diſtinctam ab unitate formali alterius dupliciter contingere poteſt, uno modo in ſe, & intrinſecè, ut accidit in homine, & equo, qui intrinſecè etiam per principia eſſentialia propria ſunt diſtincta; alio modo per accidens, & extrinſecè, ut accidit in natura humana Pauli, & natura Joannis, quæ ſolùm habent diſtinctas unitates formales extrinſecè, & numeraliter, & ex principiis individualibus, non autem intrinſecis, & eſſentialibus; multitudo igitur unitatum formalium, quæ arguit diſtinctionem ſpecificam, eſt ea ſolùm, quæ intrinſecè naturis convenit, & per principia eſſentialia, non verò quæ convenit extrinſecè ſolùm, & per principia individualia, & ideò Paulus, & Bucephalus ſpecie inter ſe diſtinguuntur, non verò Paulus, & Joannes, ſed tantùm numero. Vel dicas, & in idem recidit, quod licèt unitas formalis à parte rei multiplicetur in individuis modo jam explicato, tamen unitas formalis, unius non diſtinguitur formaliter, ſeu eſſentialiter ab unitate formali alterius, ſed tantùm materialiter, & numericè, & ideò inquit Doctor 2. diſt.3. quæſt.7. D. & 1. diſt.17. quæſt.3. Y. inter individua ejuſdem ſpeciei reperiri utique diſtinctionem formarum, non tamen formalem, quod alii dicunt reperiri diſtinctionem, ſeu pluralitatem eſſentiarum, non tamen eſſentialem.

181 Nec etiam ſequitur tertium abſurdum, quia licèt unitas formalis naturæ multiplicetur in individuis cum unitate numerali, adhuc tamen dicitur minor ea, quia cum ſit unitas communis ſaltem per indifferentiam, poteſt quantum eſt de ſe eſſe in alio individuo, & ſic dici poteſt ſtare cum multitudine numerali ſaltem aptitudinaliter, quia eſt indifferens ad plura numero conſtituenda diſiunctim, & ſpecificativè, quod de hæcceitate verificari nequit, quæ ita affixa eſt huic individuo, ut aliud ſibi repugnet ab extrinſeco conſtituere. Verum equidem eſt, quod dum poſteà per intellectum natura, quæ eſt à parte rei communis per ſolam indifferentiam, fit quoque communis omnibus per inexiſtentiam, quo actu fit univerſalis, ejus unitatem dici tunc minorem numerali, quia ſtat actu cum multitudine mumerali, attamen hæc unitas non eſt realis, ſed rationis, & non eſt unitas formalis, ſed univerſalis, quæ convenit naturæ per intellectum, ut poſtea dicemus.

Neque adhuc ſequitur quartum abſurdum, quandoquidem licet unitates formales humanitatum Petri v. gr. & Pauli præcedant individuales, ſecundum ſe conſideratæ, tamen non præcedunt, ut diſtinctæ, quia ut dixi non diſtinguuntur abinvicem intrinſecè, & ex propriis principiis eſſentialibus, ſed extrinſecè dumtaxat, & concomitanter per conjunctionem ad differentias individuales; & ideò numquam ſequitur naturam priùs eſſe in ſe diviſam, quam per individuales differentias, ubi tamen notandum eſt naturam ſecundùm unitatem formalem non dici propriè dividi, ſed potiùs ſecundùm unitatem univerſalem, quia ut ſic concipitur per modum totius univerſalis in parte ejuſdem rationis diviſibilis, unde ſecundùm unitatem formalem dicitur potiùs contrahi, & determinari, quia ut ſic non habet rationem totius, ſed potiùs partis potentialis ad plura numero conſtituenda diſiunctim indifferentis; & natura communis ſecundùm hanc unitatem adhuc in iſto ſenſu dici debet dividi immediatè per differentiam, quatenus per ipſam contrahitur, & determinatur ad incommunicabiliter exiſtendum. Nec tandem ſequitur ultimum abſurdum, quia prædicata priora ſunt communia per indifferentiam, & ideò nequeunt eſſe rationes diſtinguendi unum individuum ab alio, ſed potiùs aſſimilandi: nec refert quod ſinguli illi gradus habeant ſuas unitates formales, quia ut dixi unitates illæ non ſunt abinvicem diſtinctæ formaliter, & eſſentialiter, ſed tantum materialiter, ac entitativè.

Septimò arguit multipliciter Paſqualig. tom.2. Metaph. diſp.15. ſect.2. individuatio eſt extrà naturam ſecundùm ſe conſideratam, itaut individuatio Petri ſit extrà naturam, quæ eſt in Petro, & individuatio Pauli extra naturam, quæ eſt in Paulo, ergo non poteſt ponere multitudinem in ipſa natura, quia nihil ponit multitudinem in eo, cui eſt extrinſecum, & conſequenter cum non ſit in individuis alia multitudo, niſi quæ provenit ab eſſe individuali, non tollet hæc diviſio unitatem, quæ ex ſe convenit naturæ, etiamſi natura in pluribus ponatur, ſed adhuc remanebit una in omnibus ſua unitate formali. Confirm. natura in individuis eſt omnimò eadem in ſe, ac ſit præciſa individuatione, & ſolùm dicit eſſe individuale ſuperadditum, ſed hoc eſſe individuale tantum ponit diviſionem naturæ materialem, non verò immutat eſſe intrinſecum naturæ; igitur natura cùm hoc eſſe individuali retinet ſuam unitatem formalem communitatis prorſus unam in omnibus. Demum, vel natura eſt una, & eadem in omnibus individuis ſecluſis ſingularitatibus, & ſibi correſpondet una ſola adæquata unitas in omnibus, vel non; ſi primum, habetur intentum; ſi ſecundum, ergo erit diviſa ante ſingularitates, nec prima ejus diviſio erit per differentias, immò opus non erit ſuperaddere ſingularitates, quia per ipſas naturas ſufficienter individua diſtinguerentur; alia argumenta loc. cit. congerit Paſqualig. quæ tamen omnia ad hæc tria reducuntur.

182 Reſp. ut ſæpè dictum eſt, non eſſe confundendam unitatem eſſentialem, & metaphyſicam naturæ cum unitate phyſica, & entitativa, illa namque reſpicit eſſentiam, ut ſic, ſive exiſtat, ſive non; hæc verò reſpicit eſſentiam, ut involutam cum exiſtentia; individuatio igitur utique non ponit in natura multitudinem eſſentialem, quia eſt extra ejus eſſentiam, & ideò in individuis adhuc eam retinet, cum non importet, niſi connexionem prædicatorum eſſentialium, in quibus individua non diſtinguuntur, benè tamen ponit multitudinem entitativam, cùm hæcceitati ſit realiter identificata natura, atque ideò ad ejus plurificationem debet quoque natura realiter, ac entitativè plurificari, quo etiam pacto plurificatur unitas identificata cum natura; nec benè ex unitate eſſentiali, & metaphyſica naturæ deducitur unitas phyſica, & entitativa ejuſdem in pluribus individuis, quia talis unitas naturæ in creatis dari nequit in pluribus individuis, cùm videamus naturam perſeverare in uno ſingulari, alio intereunte, & ideò natura in creatis nequit dici à parte rei una in pluribus, niſi per indifferentiam. Ad Confirm. pariter dicitur probare ſolum, quod hæcceitates non immutant unitatem eſſentialem naturæ, quæ conſiſtit in connexione prædicatorum, & competit eſſentiæ, quatenus abſtrahit ab exiſtentia, quia illi convenit, ſive exiſtat, ſive non; non tamen probat, quin ponant multitudinem realem, ac entitativam in ipſa, cum realiter ipſi identificentur, unde & opus eſt ſic multiplicari naturam ad multiplicationem illarum, & cum ipſa natura multiplicari eodem modo formalem unitatem nimirum entitativè, & realiter, non verò formaliter, & eſſentialiter. Ad ultim. ſecluſis ſingularitatibus eſt una natura in omnibus unitate eſſentiali, & per indifferentiam, & adjunctis ſingularitatibus hæc utique intrinſecè non variatur, & formaliter, variatur tamen realiter, & extrinſecè, quia multiplicatur extrinſecè ad multiplicationem ſingularitatum, cum quibus identificatur realiter, atque ideò ante adventum differentiarum neque diviſa intelligitur natura, neque ſuperfluunt hæcceitates, ſed ſunt neceſſariæ ad diſtinguendam unam naturam ab alia, ſeu unum individuum ab alio individuo materialiter, ac entitativè; ſed pro hujus difficultatis exactiori intelligentia vide dicta quæſt.5. num.125. ubi art.2. ſoluta ſunt alia argumenta facientia contra tertiam hanc concluſionem poſitam art. præced.

183 Poſtremò contra quartam concluſionem nullam habent Nominales, & Hervæiſtæ ſolidam rationem, qua probent unitatem formalem, quam habet natura in individuis, importare ſolam ſimilitudinem, & conformitatem individuorum adinvicem; id tamen nititur Averſa probare primò ratione, quia talis ſimilitudo datur a parte rei inter Petrum, & Paulum, quia uterque dicitur homo, uterque animal &c. cum ergo à parte rei ratione talis ſimilitudinis, hæc prædicata ſint ipſis communia, meritò appellari poteſt unitas formalis naturæ, quia ipſius ope dicuntur res convenire, ideſt quaſi in unum venire, ideſt in unam proportionem, & ſimilitudinem. Confirm. auctoritate Ariſt. qui 5. Metaph. cap.5. hujuſmodi relationem æquiparantiæ vocat nomine unitatis, inquit enim, *eadem ſunt, quorum ſubſtantia una, ſimilia quorum qualitas, una, æqualia quorum quantitas una*; ergo ſimilitudo, & conformitas plurium individuorum ſub eadem ſpecie rectè dicitur formalis unitas naturæ, & talis unitas ritè per talem conformitatem explicatur.

Reſp. in primis ex doctrina ipſorum ſimilitudinem non dicere unitatem, ſed potiùs in terminis involvere diſtinctionem eorum, quæ ſunt ſimilia, quamvis per ſimilitudinem, & proportionem dicantur plura convenire, ideſt quaſi in unum venire, tamen non ſemper talis ſimilitudo ducit nos in unitatem univocationis, ſed interdum ſolius proportionis, & analogiæ, ut ipſi fatentur; & ideò unitas formalis naturæ, in qua fundatur præſertim univocatio ſpeciei athomæ, non benè explicatur per puram unitatem ſimilitudinis, & conformitatis, niſi præcedat unitas indifferentiæ, ſuper quam fundetur eſſentialis convenientia plurium individuorum ſub eadem ſpecie. Ad Confirm. ex Ariſt. jam ſupra num.45. & 142. oſtendi locum illum de relationibus æquiparantiæ eſſe pro nobis, nam ait Philoſophus ejuſmodi relativa dici ſecundùm unum, & fundari tales relationes ſupra unitatem ſubſtantiæ, vel quantitatis, vel qualitatis, unde non ipſam ſimilitudinem, aut æqualitatem vocat unitatem Ariſtot. ſed fundamentum proximum ipſorum.

QUÆSTIO VIII.

Quid ſit unitas præciſionis, & in quo ſtatu naturæ conveniat.

184 Unitas præciſionis dicitur eſſe illa, ſecundùm quam natura abſtrahit ab individuatione quacunque, ſub qua abſtractione dicitur communis poſitivè, & poſitivè indeterminata ad plura, quæ etiam dici ſolet indeterminatio contraria, quatenus poſitivè contrariatur determinationi actuali per differentiam, & eam penitus excludit, ſi enim aliquam admitteret, non diceretur æquè ab omnibus præciſa; itaque unitas præciſionis, de

qua hìc eſt ſermo, coincidit prorſus cum unitate indeterminationis poſitivæ, quam explicui ſupra quæſt.4. art.1. num.72. & 73. Cum igitur conſtet ex hactenus dictis naturam exiſtentem in rebus ratione ſui unitatem quandam habere formalem, eò quia nec in ſe, nec in individuis eſt per eſſentialia principia diviſa, & hanc eſſe minorem unitate numerali, eò quia compatitur aptitudinem ad eſſendum in multis diſiunctim, & communitatem quandam habet negativam ſibi intrinſecam. Et cum etiam conſtet ex dictis diſp.4. Log. quæſt.1. & 2. naturam habentem talem eſſe abſtractum ab individuis, ſeu indeterminatum indeterminatione poſitiva eſſe, aut univerſalem actu, aut ſaltem fundamentum proximum univerſalitatis, propterea quod ipſa ſic manens eſt in potentia proxima, ut de quolibet ſuppoſito dicatur prædicatione dicente, hoc eſt hoc, ut docet Doctor 2. diſt.3. quæſt.1. in præſenti priuſquam declaremus quæſt. ſequent. unitatem univerſalem naturæ, examinandum eſt, an natura communis talem unitatem præciſionis, ſeu indeterminationis poſitivæ ſibi vendicet ante quamcumque intellectus operationem, vel ſolùm in ſtatu exiſtentiæ objectivæ.

Prima opinio affirmat hanc unionem eſſe realem, & convenire naturæ in ſtatu reali, quod tamen non omnes eodem modo explicant, Fonſeca 5. Metaph. cap.28. quæſt.3. ſect.4. dicit hanc unitatem convenire naturæ in ſtatu eſſentiæ, & ſecundùm ſe conſideratæ, ut præcedit natura omnes differentias individuales, qui ſtatus dicitur anteceſſionis reſpectu contractionis per differentias; & quia talis anteceſſio, & prioritas naturæ ad differentias eſt realis, ideò vult, talem unitatem præciſionis eſſe realem, & naturæ convenire in ſtatu reali; addit tamen hanc unitatem eſſe ſeparabilem à natura, quia convenit naturæ ſecundum ſe, ideſt abſolutè ſumptæ, ut non deſcendit ad individua, nam dum contrahitur ad inferiora, ſtatus anteceſſionis amittitur, & conſequenter unitas, quæ ipſam comitabatur in tali ſtatu. Amicus tract.4. Log. quæſt.4. dub.2. art.2. inquit, quòd poſita diſtinctione graduum à parte rei (ut ipſe tenet cum Scotiſtis) unitas præciſionis poteſt convenire naturæ ante quamcumque operationem intellectus, nedum in ſtatu eſſentiæ, & anteceſſionis, ut ajebat Fonſec. ſed etiam in ſtatu exiſtentiæ, & contractionis licet non reduplicativè, & ratio eſt, quia præciſio, vel eſt idem, quod diſtinctio, vel ſaltem in diſtinctione fundatur, ſi ergo etiam in ſtatu exiſtentiæ, & contractionis, adhuc natura diſtinguitur formaliter à parte rei ab individuatione, ratione talis diſtinctionis poteſt dici natura præciſa à differentia contrahente, non quidem præciſa realiter, & ſeparata, ſed formaliter, quatenus non includit eam in ſuo conceptu formali; poteſt ergo in hoc ſenſu etiam in ſtatu exiſtentiæ gaudere natura unitate præciſionis, quia ſub tali præciſione non conveniunt naturæ prædicata poſitiva, niſi ſint eſſentialia, vel ex eſſentia neceſſariò profluentia, conjunctio autem cum hæcceitatibus non eſt naturæ eſſentialis, neque ex eſſentia profluens, quia poteſt carere utraque.

185 Trombeta tandem eandem ſuſtinens opinionem aliter declarat in quo ſenſu natura ſecundum aliquod eſſe reale exiſtens extra animam verè talem unitatem præciſionis poſſit obtinere, pro quo duas præmittit propoſitiones 7. Metaph. qu.8. art.2. concl.2. prima eſt, quod aliquid habet eſſe duobus modis, uno modo extra intellectum omnino, alio modo in intellectu, in intellectu autem duobus modis, uno modo ſubjectivè, alio modo objectivè; ſubjectivè ſicut actus intelligendi, habitus, ſpecies intelligibilis; objectivè autem adhuc duobus modis; uno modo habitualiter, & primò, alio modo actualiter, & ſecundariò; primo modo ſicut objectum in ſpecie, quæ non actualiter movet intellectum, ſed eſt in potentia proxima ad movendum, ſecundo modo quando ipſa ſpecies actu movet intellectum; objectum in ſpecie dicitur habere eſſe actualiter in intellectu objectivè; ſed iſte ſecundus modus adhuc ſubdividitur, quoniam aliquid habet eſſe objectivum actualiter in intellectu ante actum intelligendi ſaltem ordine naturæ; aliquid habet eſſe poſt actum intelligendi accipiens eſſe per ipſum, aut per actum comparativum intellectus, primo modo natura univerſalis in actu indeterminata poſitivè habet eſſe in intellectu per ſpeciem repræſentantem ipſam; ſecundo modo ſecundæ intentiones ſic habent eſſe in intellectu, quæ intentiones ſecundæ cauſantur per actum collativum intellectus, & tamdiù manent in intellectu, quamdiu manet actus intelligendi. Secunda propoſitio, quam accipit, eſt, quod Ariſt. diſtinguens ens in anima contra ens extra animam, non accipit ens in anima ſubjectivè, neque etiam in anima objectivè, ſive habitualiter, ſive actualiter ante actum intelligendi, quia ſpecies intelligibilis, habitus, & actus intelligendi ſunt entia in anima ſubjectivè, & adhuc ſunt entia extra animam, quia ſunt veræ, & reales qualitates; item genera, & ſpecies ſecundum ipſum; ſi pro prima intentione ſumantur, ſunt in anima objectivè, & adhuc ſunt entia extra animam, quia ſunt per ſe in genere. Ex quo ſequitur, quod ens in anima diſtinctum contra ens extra animam eſt præciſè ens objectivè in anima actualiter poſt actum intelligendi, vel accipiens eſſe per aliquem actum collativum intellectus. Ex hoc tandem probat ſuam concluſionem, quia ſive capiatur natura, ut habet eſſe objectivum in anima habitualiter, ſive actualiter ante actum intelligendi, natura iſto modo accepta eſt ens ex natura rei, ergo ſibi correſpondet aliqua unitas ex natura rei, quia cuicunque enti correſpondet ſua propria unitas, & talis eſſe nequit, niſi unitas præciſionis, & poſitivæ indeterminationis, ita diſcurrit Tromb. loc. cit.

186 Oppoſita ſententia communis inter Scotiſtas, & Thomiſtas aſſerit, quod naturæ exiſtenti extra animam nulla alia unitas convenit, niſi formalis, cum communitate reali negativa præſertim ſecundùm Scotiſtas, cœterum unitas præciſionis ab individuis, ſeu indeterminationis poſitivè non convenit naturæ, niſi dum per intellectum abſtracta eſt ab individuis, & per abſtractionem redditur indeterminata poſitivè ad illa; & hanc expreſsè docet Doct. loc. ſæpè cit. 2. diſt.3. quæſt.1. nam ibi ſolam unitatem formalem, & communitatem negativam tribuit naturæ extra animam, cœtera verò in anima; tum quia unitas præciſionis, ut dictum eſt ab initio quæſtionis, coincidit cum unitate indeterminationis poſitivæ, ſecundum quam natura conſtituitur in potentia proxima, ut poſſit de pluribus prædicari prædicatione dicente, hoc eſt hoc, ſed hæc unitas non competit naturæ extra intellectum, ut Doctor notat §. *Sed contra*, litt. H. his verbis, *nihil enim ſecundùm quamlibet unitatem in re eſt tale, quod ſecundum ipſam unitatem præciſam ſit in potentia proxima, ut dicatur de quolibet ſuppoſito*, &c. nota illa duo verba *unitatem præciſam*, ideſt unitatem præciſionis, quam ait non convenire naturæ in re, & extra intellectum. Rurſus unitatem abſtractionis non eſſe unitatem realem expreſsè docet in eadem quæſt. §. *Contra iſtud*, in quinto argumento pro unitate reali, quæ ſit minor numerali, ibi enim aſſumens unius actionis ſenſus eſſe unum objectum ſecundum aliquam unitatem realem, ſubdit ſub litt. D. quod ſi ratio illa aſſumeret primùm objectum ſenſus debere eſſe unum unitate reali, non probaret ſicut præcedens, quia poſſet poni aliquod objectum primum, ut eſt adæquatum potentiæ, eſſe aliquod commune abſtractum ab omnibus objectis particularibus, ideòque non habere unitatem realem, ſed ſolam unitatem communitatis & abſtractionis; non ergo hanc unitatem putavit eſſe realem in natura.

187 Sed quamvis hæc ſententia communis ſit Scotiſtis, & Thomiſtis non tamen probatur ab eis ex eiſdem principiis: Thomiſtæ ſiquidem probare ſolent ex identitate omnimoda à parte rei reperta naturæ cum differentia contrahente, quia ubi non eſt diſtinctio, non eſt negatio conjunctionis duorum, ſed inter gradus naturæ, & individuationis nulla eſt diſtinctio à parte rei; ergo neque negatio conjunctionis, in qua fundatur unitas præciſionis, quæ conſiſtit in negatione diviſionis naturæ per differentias contrahentes. Sed hæc probatio falſo nititur fundamento, nam ſupra probatum eſt inter gradus prædicamentales dari diſtinctionem ex natura rei formalem, & præſertim inter naturam, & differentiam contrahentem, undè potiùs ex oppoſito fundamento oppoſita concluſio deduci poſſet, ſicuti deducebat Amic. loc. cit. Tum quia aſſertores oppoſitæ ſententiæ dicerent unitatem præciſionis non fundari in negatione qualiſcunque conjunctionis naturæ cum differentia individuali, ſed præciſè in negatione conjunctionis per formalem identitatem, cum qua ſtare poteſt conjunctio per realem identitatem, atque ideò etiam à parte rei, & ſub ſtatu contractionis poſſe convenire naturæ ejuſmodi unitatem, licèt non reduplicativè ſub tali ſtatu.

Secundò probat Suarez diſp.6. Metaph. ſect.3. num.5. ex nomine, & ratione iſtius unitatis, quam dicunt præciſionis; ſi ergo præciſio non eſt in re, neque convenit naturæ ſecundùm ſe, ſed per intellectum tantùm neque etiam unitas convenire poteſt naturæ ſecùndum ſe, ſecludendo intellectum. Immo hoc ipſo, quod dicitur *ſecundum ſe*, involvitur operatio intellectus, quia natura non præſcinditur, aut ſeparatur ab omnibus differentiis individualibus, niſi opere intellectus, undè quicquid convenit naturæ *ſecundum ſe* ſumptæ propriè, & peculiariter ratione illius conditionis, ſeu ſtatus, qui explicatur per illam particulam *ſecundum ſe*, convenit illi per intellectum, hujuſmodi autem eſt prędicta unitas, ergo &c. Sed hæc quoque ratio enervatur, ut præcedens, admiſſa cum Scotiſtis diſtinctione formali naturæ ab hæcceitate citra quodcunque opus intellectus, tunc enim diceretur dari præciſionem in re, & non tantum per intellectum, à quacunque individuali differentia; quamvis enim à parte rei ſit cum Petreitate v. gr. conjuncta, adhuc tamen dicitur ex natura rei ab ea præſcindere, quatenus ita eam excludit à ſua formali ratione, ſicut aliam quamcunque, cum qua non eſt realiter conjuncta. Et ad Confir. diceretur juxtà doctrinam datam ſupra num.85. & 162. ly *ſecundum ſe*, non debere accipi negativè pro eo, quod ſolitariè, & non cum aliis, quo pacto importat perſeitatem tertii modi dicendi per ſe, ſed accipi debet poſitivè, ut ſignificat neceſſariam connexionem prædicati cum ſubjecto, tanquam de ejus eſſentia exiſtentis, & ab illo intrinſecè manantis, quo pacto importat perſeitatem primi, & ſecundi modi dicendi per ſe.

188 Tertiò probat idem Suarez cit. num.3. quia ſi dicatur hanc unitatem convenire naturæ, non quidem in ſtatu exiſtentiæ, ſed eſſentiæ poſſibilis (nam ſtatus eſſentiæ ſolet interdum ſumi pro ſtatu poſſibilitatis, ut conſtat ex dictis diſp.8.) hoc non videtur intelligibile, quia eſſe eſſentiæ non poteſt concipi, ut reale, niſi ſaltem aptitudine per ordinem ad exiſtentiam; ergo ſi hæc unitas non poteſt convenire eſſentiæ, ut exiſtenti, neque convenit illi, ut aptæ ad exiſtendum, quia ſicut non exiſtit, ut individua, ita neq; eſt apta ad exiſtendum, niſi ut individua; ergo nullo modo illi realiter convenit. Conf. quia nullum prædicatum eſſentiale convenit naturæ, quod nequeat individuis convenire per ſecundam regulam antepræd icamentalem, ſed natura cum hac unitate nequit ad individua deſcendere ſine implicatione; ergo realiter, & eſſentialiter naturæ non convenit. Sed neque hæc ratio cum ſua con-

confirmatione convincit, quia ad hanc benè occurrit Amic. cit. ab æterno tam naturam, quàm hæcceitatem habere conceptum realem, non tamen inter illa ab æterno eſſe unionem actualem, quia hæc non neceſſariò convenit, ſed eſſe poſſibilem unionem intèr illa, atque adeò poſſe conſtitui individuam ſecundùm conceptum eſſentiæ, quomodo natura non dicitur contracta, ſed poſſe contrahi, & hac ratione individua dicuntur ab æterno poſſibilia, quia ab æterno natura, & hæcceitas habent poſſibilitatem unionis, quam doctrinam approbavi ſupra in hac diſp. num.75. Ad Confirm. occurri poteſt ex dictis ſupra num.98. in ſimili de communitate naturæ negativa, ubi explicatum eſt, quo pacto prædicata quædam eſſentialia naturæ convenire poſſint etiam à parte rei, & non individuis.

Quartò fortius probari poteſt, excludendo omnes ſolutiones, quæ dari poſſent admiſſa formali diſtinctione inter naturam, & hæcceitatem, quia etiamſi in opinione Scoti ita diſtinguantur, non tamen diſtinguuntur realiter; ergo à parte rei nequit obtinere natura unitatem præciſionis ab hæcceitate etiam admiſſa formali diſtinctione inter ipſas, probatur conſequentia, quia identitas realis adhuc ſufficiens eſt ad impediendam hanc præciſionem, cùm enim præciſio ſit negatio quædam, & hæc ſit malignantis naturæ, debet diſtributivè negare quamcumque conjunctionem naturæ cum differentia, nedum per identitatem formalem, ſed etiam per realem. Amicus loc. cit. eſto fateatur hoc argumentum difficulter ſolvi, reſpondet tamen hìc non conſiderari, quæ conveniunt rebus, ut habent identitatem realem, ſed ut habent diſtinctionem formalem præſcindendo ab identitate; vel diſtinctione reali, atque ita dicimus naturam in ſtatu eſſentiæ, ſeu ſolitudinis, ut eſt diſtincta à differentiis, habere unitatem præciſionis, quatenus, ut ſic, non habet conjunctionem cum eis; quod neceſſariò ait quoque concedendum eſſe in ſententia concedente unitatem præciſionis naturæ ſolum ex vi intellectus, nam ſicut cognitio non tollit ab objecto identitatem realem, ita neque tollit contractionem, quam habet à parte rei, & tamen cum illa contractione ſtare poteſt præciſio per intellectum, quia cum identitate à parte rei ſtare poteſt diſtinctio rationis. Contra, quia unitas præciſionis in hoc differt ab unitate formali, quod hæc utique competit naturæ ſecundùm ſe conſideratæ, ut ly *ſecundum ſe*, dicit perſeitatem primi, & ſecundi modi, & ideò poteſt quoque convenire naturæ in ſtatu exiſtentiæ, præſertim, ut diſtinguitur formaliter à differentia, quia ſub tali diſtinctione includit ſolum, quæ ei conveniunt in primo, & ſecundo modo; verùm unitas præciſionis convenit illi *ſecundum ſe*, ut dicit perſeitatem tertii modi, & ſtatum ſolitudinis, ut etiam fatetur Amic. loc. cit. ſed ſtatus ſolitudinis dicit denudationem naturæ ab omni prorſus differentia, & ſejunctionem ab ea nedum per negationem identitatis formalis, ſed etiam realis, ergo reſponſio allata non ſufficit.

189 Confirm. quia natura ſub unitate præciſionis habet indeterminationem poſitivam, & contrariam determinationi ſingularitatis, ſecundum quam natura non ſolum non eſt determinata per ſingularitatem, verùmetiam habet eſſe abſtractum ab omni ſingularitate, ſecundum quod indifferenter ſe habet ad quodcunque ſingulare, & omnia æquè reſpicit, ut docet Scot. loc. cit. dicitur autem hæc determinatio poſitiva, & contraria, quia non dicit negationem quomodocunque ſingularitatis, cum hanc negationem habeat etiam natura ſecundum ſe, ut formaliter ab hæcceitate ſecernitur, ſed dicit tali modo negationem conjunctionis cum ſingularitate, ut neget omnimodam conjunctionem, adeout illi repugnet ſine deſtructione illius ſtatus habere aliquo modo ſingularitatem conjunctam. Confirm. adhuc, quia natura ſub unitate præciſionis nedum dicitur non hæc, ſed poſitivè communis, & ad plura indifferens ſaltem aptitudine, ſed merito diſtinctionis formalis ſolum dici poteſt non de ſe hæc, non de ſe ſingularis, ergo diſtinctio ejus formalis ab hæcceitate nòn ſufficit, ut à parte rei dicitur habere unitatem præciſionis. Inſtantiam verò, quam facit Amicus, nos quoque ejus ſolutionem acceptare debere, quia cognitio abſtractiva naturæ a differentiis non tollit identitatem naturæ cum illis à parte rei, & ideò ſicut identitas realis naturæ à parte rei cum differentia non impedit præciſionem per intellectum, ita neque impediet præciſionem factam ex vi diſtinctionis formalis, quia cum identitate reali tam benè ſtat diſtinctio formalis, quam diſtinctio rationis, fateor urgere, nihilominus adhuc retundi poteſt oſtendendo diſparitatem, quia ex vi diſtinctionis formalis poteſt fieri abſtractio naturæ à differentia ſolùm præciſiva, non diviſiva, quia in virtute talis diſtinctionis ſolùm intelligitur non eſſe de ſe hanc, ſed quando intellectus concipit naturam ſub unitate præciſionis, ut eam faciat univerſalem, non ſolùm facit abſtractionem præciſivam intelligendo nempe naturam non intellecta ſingularitate, ſed etiam diviſivam, quia intelligit eam ſine ſingularitate, imò ſub oppoſito ſingularitatis nempe ſub communitate, & indifferentia poſitiva, unde apud intellectum illa natura perindè ſe habet, ac ſi à parte rei eſſet omni individuatione expoliata.

Dices, ergo iſta præciſio naturæ à differentia facta per intellectum potius erit diviſio, quam præciſio, & ſic intellectus falletur per talem intellectionem, quia non ſolùm ſic intelligendo intelligit rem ac ſit à parte rei, ſed etiam ſub oppoſito, quia à parte rei eſt cum ſingularitate, & intellectus nedum eam intelligit ſine ſingularitate, ſed cum communitate poſitiva ei oppoſita. Reſp. hunc modum Adverſariis quoque eſſe diſſolvendum, quia & ipſi concedunt poſſe naturam concipi ſub univerſalitate, quæ repugnat ſingularitati, quam habeat à parte rei; dicendum itaque cum Scoto 2. diſt. 3. qu. 1. & 7. ab initio, quod licèt hæc conceptio naturæ ſub communitate poſitiva habeat potius modum diviſionis, & ſeparationis intentionalis, quam præciſionis, & ſimplicis abſtractionis, attamen adhuc fit ſine fallacia, ac deceptione, primò, quia habet fundamentum in re, & reperit non repugnantiam in natura, immò aptitudinem à parte rei ad ſic concipi, nam eſto ſit à parte rei ſingularis, hæc tamen non eſt de ejus eſſentia nec in primo, nec in ſecundo modo, immò de ſe eſt communis, & indifferens; deindè quia quando intellectus dicit naturam eſſe univerſalem, & poſitivè communem, hoc non affirmat de natura ſecundùm eſſe reale, quod habet à parte rei, ſed ſecundùm eſſe intentionale, quod habet in intellectu. Dices, quomodo ergo ſtat unitas communis illius axiomatis ex 2. Phyſ. 18. deſumpti, quod abſtrahentium non eſt mendacium, quod paſſim interpretantur de abſtractione præciſiva, non diviſiva, quia hæc, inquiunt, contingere nequit ſine mendacio? Reſp. hoc eſſe intelligendum de prædicatis, quæ conveniunt rei in primo, vel ſecundo modo dicendi per ſe, quamvis enim poſſimus v. gr. concipere hominem non concepta riſibilitate ſine ulla falſitate, nequaquam tamen poſſumus ipſum concipere ſine riſibilitate, vel ſub oppoſito riſibilitatis abſque præjudicio eſſentiæ hominis; non autem intelligi debet de prædicatis merè accidentalibus etiamſi a parte rei inſeparabilibus, quia ut ajebat Porphirius cap. de accidente, quamvis nigredo ſit à corvo inſeparabilis, vel Æthiope à parte rei, adhuc tamen, quia hoc eſt accidens commune, nedum poteſt corvus, vel Æthiops intelligi præciſivè non intellecta nigredine, ſed etiam abſque ulla falſitate, ac præjudicio eſſentiæ ejus intelligi poteſt ſine nigredine diviſivè, immò ſub oppoſito illius nempe ſub albedine, quia hoc prædicatum non eſt de ejus eſſentia nec in primo, nec in ſecundo modo, ſic igitur in oppoſito, quamvis natura à parte rei ſit realiter conjuncta cum ſingularitate, quia tamen hæc non eſt de eſſentia naturæ nec in primo, nec in ſecundo modo, ſed merè accidit naturæ, ideò natura abſque ulla falſitate poteſt concipi ſine ea etiam diviſivè, immò ſub oppoſito illius.

190 Quintò, Ulterius probari poteſt excludendo ſingulos modos, quibus conantur Adverſarii oppoſitum noſtræ concluſionis defendere; & quidem quod ajebat Amicus poſſe unitatem præciſionis convenire naturæ à parte rei merito diſtinctionis formalis ejus ab hæcceitate ſatis impugnatum manet ex proximè dictis, quia ex vi diſtinctionis formalis natura ſolùm dicitur non de ſe hæc, nec de ſe ſingularis, cum quo ſtat quod aliundè, & ab extrinſeco ſit ſingularis, ſed ex vi unitatis præciſionis dicitur poſitivè communis, quæ communitas petit, ut ſub tali conceptu natura nec ab intrinſeco, nec ab extrinſeco ſit ſingularis, ſed omnem prorſus ſingularitatem excludat, & omni modo; ergo in ſtatu exiſtentiæ talis unitas præciſionis nequit convenire naturæ. Sed quod neque poſſit convenire naturæ in ſtatu eſſentiæ, ut volebat Fonſec. probatur, quia vel per ſtatum illum prioritatis, & anteceſſionis naturæ ad contractionem factam per differentias, intelligit ſolam prioritatem naturæ, quatenus hæc præſupponitur illis, vel antecedentiam durationis in æternitate, in qua erat præcisè ſub ſtatu poſſibilitatis; ſed prioritas naturæ non ſufficit, quia hæc non dicit prioritatem temporis, in qua ſit natura, & non ſit contracta, ſed dicit ſolùm independentiam eſſentiæ à differentiis, non enim attenditur quoad durationem exiſtentiæ, ſed quoad independentiam unius ab alio, ſive ſit per cauſalitatem unius ab alio, ſive per ſimplicem præſuppoſitionem, undè explicari non poteſt per hoc, quod ſit prius in aliquo ſigno, in quo non ſit poſterius, ſed tantùm per hoc, quod prius poteſt intelligi in aliquo ſigno, in quo non intelligatur poſterius, ut dictum eſt diſp.9. Log. quæſt.2. art.1. ſed ad unitatem præciſionis requiritur, ut natura præcedat duratione ſuam contractionem, quia negatio, & forma in eodem inſtanti durationis eſſe non poſſunt in eodem ſubjecto, etiamſi inſtans durationis dividuatur in diverſa inſtantia naturæ, ut dictum eſt diſp.4. Phyſ. quæſt.2. Sed neque etiam ad hoc ſufficit prioritas æternitatis ad tempus, in qua erat naturæ præcisè ſub ſtatu poſſibilitatis, nam eodem modo diſtinguitur humanitas poſſibilis a Petro poſſibili, ſicut humanitas exiſtens a Petro exiſtenti, non enim alia res ſit exiſtens, ut dictum eſt diſp. præced. niſi illamet, quæ erat poſſibilis, ergo ſuo modo proportionato ita repugnat unitas præciſionis naturæ in ſtatu poſſibilitatis, ſicut in ſtatu exiſtentiæ, quia ut notat Lichet. 2. diſt.3. quæſt.1. §. *Reſpondeo*, ita ſuo modo identificatur natura poſſibilis cum hæcceitate poſſibili, ſicut natura exiſtens cum hæcceitate exiſtenti. Tum quia quando etiam nolimus dicere, naturam eſſe in æternitate contractam, ſed tantùm poſſe contrahi à differentia individuali, & hac ratione individua dici ab æterno poſſibilia, ut ſupra dictum eſt num.138. ſolvendo rationem Suarez; adhuc tamen in illo ſtatu non eſt libera à differentiis contrahentibus, ſicut in ſtatu exiſtentiæ objectivè, quia illas concernit ſaltem in aptitudine; ex qua argumentatione colligitur hanc unitatem præciſionis non poſſe eſſe realem in natura, quia nec in ſtatu actualitatis, nec in ſtatu poſſibilitatis benè illi accommodatur, ſed tantùm in ſtatu exiſtentiæ objectivæ.

191 Poſtremò probatur refellendo quoque modum dicendi Tromb. cit. num.135. quia ex conceſſis ab ipſo unitas præciſionis, ſeu abſtractionis non convenit naturæ, prout ipſa exiſtit à parte rei, ſed tantùm quatenus per intellectum agentem, vel poſſibilem ipſa recipit illud eſſe abſtractum ab individuis, & hoc aut in ſpecie intelligibili univerſalis, quatenus accipit illud eſſe repræſentatum

univerſale, & ſecluſum ab omni differentia individuali, aut in notitia ipſa naturæ communis, quatenus accipit illud eſſe expreſſatum univerſalem, & ſecluſum ab omni differentia individuali; ſed natura communis, ut ſic, aut repræſentata univerſaliter, aut expreſſata univerſaliter nullum habet eſſe reale realis exiſtentiæ, aut eſſentiæ, ſed ſolùm eſſe extrinſecæ denominationis, quod eſt eſſe ſecundum quid, & rationis, ut docet Doctor 1.d.3.q.6. §. *Dicitur, quod terminus actionis intellectus agentis* &c. cum eo Lichet. Bargius, & alii Interpretes ibidem; ergo unitas præciſionis, quæ competit naturæ, ut ſic, non poteſt eſſe unitas realis, & competens naturæ habenti eſſe extrà animam. Conf. quia natura non abſtrahit ab individuatione, niſi per opus intellectus agentis, vel poſſibilis, ut admittit ipſe Tromb. ergo ab intellectu habet, quod ſit una unitate iſta præciſionis, & ſic non illam ſibi vendicat, quatenus eſt extrà animam. Conf. adhuc, quia natura, quatenus abſtracta, nullum eſſe habet extrà animam, quia extra non eſt abſtracta; igitur unitas iſta præciſionis, quæ illi convenit, ut abſtracta eſt, nequit ſibi accommodari extrà animam.

Reſp. pro Tromb. hoc argumentum convincere ſolùm naturam abſtractam non habere omninò eſſe extrà animam, & reale ſubjectivum, non autem quod non habeat eſſe reale objectivum in anima, ac etiam extrà animam, prout ly *extra animam* opponitur entirationis. Sed contrà, quia eſſe objectivum rerum non eſt aliquod verum eſſe reale, quod ſit formale eſſe ipſarum, quaſi de novo productum in anima, ut ipſe ſupponit, ſed aut eſſe extrinſecæ denominationis, quod res extrà habent ex eo, quod ſpecies intelligibilis, aut notitia producta ad ipſas habet habitudinem quandam, aut eſſe ſpeciei intelligibilis, vel notitiæ, in quibus ipſæ res repræſentantur, & exprimuntur, undè nullo modo ſalvari poteſt naturam, quatenus habet eſſe abſtractum formaliter habere eſſe reale. Tum quia non eſt neceſſe, quod ſi natura, quæ animæ obiicitur, realis eſt, & reale eſſe habet extrà animam, modus pariter, & conditio, quo nobis obiicitur, realis ſit, & extrà animam, ſed ope ipſius animæ conſurgere poteſt, ut conſtat ex ipſo nomine abſtractionis, & præciſionis.

Diluuntur objecta.

192 PRimò. Contra prædicta obiicies pro Fonſ. natura communis præcedit ſaltem natura individualem differentiam; ergo in illo priori erit natura non adhuc exiſtente differentia, aut ſaltem non intellecta exiſtere, & ſic in illo priori habebit unitatem præciſionis ab omni differentia. Conf. quia ſi natura à parte rei exiſteret ſine contractione ad individua hanc unitatdm haberet; ergo cum natura communis ante quamcunque intellectus operationem præcedat individua omnia, in eo ſtatu antecedentiæ hanc unitatem habebit.

Reſp. negando utramque conſequentiam, quia ut ſuprà dictum eſt prioritas naturæ non eſt antecedentia durationis, tanquam in aliquo ſigno natura exiſtat, vel ſaltem exiſtere poſſit ſine differentia individuali (non enim per inſtantia naturæ menſuratur exiſtentia rei, ſed durationis) ſed eſt ſolùm prioritas independentiæ, vel naturalis præſuppoſitionis, vel præintelligentiæ cum fundamento in re, ideòque ſicut in re nunquam eſt, vel eſſe poteſt ſine talibus differentiis, ità nunquam poterit ſibi à parte rei vendicare unitatem hanc realem præciſionis. Ad Conf. conceſſo aſſumpto, negatur conſequentia, quia ſi natura à parte rei exiſteret ſine contractione, tunc præcederet differentias nedum prioritate naturæ, ſed etiam durationis, at modò non præcedit niſi prioritate naturæ, vel naturalis intelligentiæ.

193 Secundò, obiicies fundamentum Amici ſupra relatum ab initio quæſtionis, nam admiſſa diſtinctione graduum inter ſe, ut admittunt Scotiſtæ, actualiter a parte rei, non videtur poſſe denegari unitas præciſionis naturæ a parte rei, natura ſiquidem eo modo præſcindit à differentia contrahente, quo pacto diſtinguitur; ſed diſtinguitur à parte rei formaliter, & non tantùm per intellectum; ergo unitas præciſionis convenit illi ex natura rei, & non tantùm per intellectum.

Reſp. licèt ob hanc rationem videatur à Scotiſtis poſſe probabiliter defendi oppoſita opinio, præſtat tamen dicere, quod natura, quatenus eſt ex natura rei diſtincta ab individuatione, eamque præcedit ordine naturæ, nullam aliam unitatem ſibi vendicat, niſi formalem cum communitate negativa, cum unitas formalis, & communitas negativa eam inſequantur, velut paſſiones; unitas ergo, quæ convenit naturæ ratione diſtinctionis, eſt formalis pura, non autem unitas præciſionis, quia ad hanc non ſufficit diſtinctio naturæ ab hæcceitate, ſed requiritur etiam negatio conjunctionis cum ipſa, quæ cum non haberi poſſit à parte rei, ſed tantùm per intellectum ſeparantem, & dividentem naturam à differentia, conſequenter unitas præciſionis ex tali negatione reſultans non niſi per opus intellectus poteſt haberi; & ſic etiam ſentit Meuriſſe lib. 2. Met. c. 3. q. 5. concl. 1. ubi ait præciſionem à differentia convenientem naturæ à parte rei merito formalis diſtinctionis eſſe tantùm negativam, & conſiſtere in eo, quod natura non includat differentiam; præciſio autem poſitiva addit actum intellectus deferentem, & abiicientem conditiones contrahentes, & quaſi extrahentem, & ſeparantem naturam ab illis, undè concludit unitatem conſiſtentem in ea eſſe tantùm rationis.

194 Tertiò, obiicies fundamentum Tromb. ex n.135. quod natura abſtracta à ſingularibus ſive opere intellectus agentis, ſive poſſibilis verè præcedit tempore, & natura actum intelligendi, & eſt in intellectu objectivè nedum actualiter antè actum intelligendi ſed etiam habitualiter; ergo verè habet exiſtentiam adhuc realem, & non intentionalem acceptam per actum intelligendi; ergo & unitatem quoque realem ſibi proportionatam in tali ſtatu, quæ eſſe nequit, niſi unitas præciſionis, ut arguebat ſuperius loc. cit.

Reſp. eo argumento probari tantùm, quod natura ipſa, quæ abſtrahitur, verè eſſe reale habet extra animam, quod nos concedimus, ſed quod ipſa, ut habens eſſe abſtractum, aliquod eſſe reale ſibi formaliter vendicet, hoc non probat ſufficienter; nam eſto ipſa habens eſſe abſtractum præcedat actum, quo ipſa intelligitur extrinſecè denominari abſtracta, & intellecta, non præcedit tamen omnem actum intellectus agentis, vel poſſibilis, cujus ope ipſa abſtrahitur, & denominatur extrinſece abſtracta; undè ſicut non ſequitur, paries dicitur viſus, antequam intellectus conſideret, ergo eſſe viſum parietas eſt eſſe reale parietis, cùm ſit ſolùm eſſe deniminationis extrinſecæ, ita neque in propoſito. Cùm autum dicebat Tromb. cit. n.135. quod genera, & ſpecies ponuntur in recta linea prædicamentali, hoc verum eſt quoad naturas generum, & ſpecierum, quæ in rebus extra ſunt, non quoad conditionem illam abſtractionis, & modum, quo præcisè a nobis univerſaliter repræſentatur in illa linea; etenim ut Scot. docet modus iſte univerſalitatis eſt modus intelligendi rerum realium, non autem eſt modus intellectus, aut pars conceptus primi earum, quia non conceptus metaphyſici.

195 Suppoſito itaque hanc unitatem præciſionis non relucere in natura, niſi per opus intellectus eam ab individuatione præſcindentis, quæri ſolet, an ad habendam hanc unitatem, quæ poſteà inſervire debeat pro univerſalitate naturæ, ſufficiat abſtrahere naturam ab uno individuo, vel potius opus ſit abſtrahere à pluribus invicem comparatis, ut ſimilibus; ſufficere abſtractionem ab uno tenent Hurtad. diſp. 5. Met. ſect. 9. Smigletius diſp. 4. qu. 4. Amic. tr. 4. Log. q. 2. dub. 5. in fine. Averſa q. 8. Phil. ſect. 11. Paſqual. to. 2. Metaph. diſp. 20. non ſufficere, ſed neceſſariam eſſe abſtractionem à pluribus aſſerit Ovvied. controv. 5. Log. punct. 7. duplici ratione ſolet probari prima ſententia, quas affert, & ſolvit Ovvied. cit. prima eſt, quia natura abſtracta ab uno individuo cognoſcitur ſine ſingularitate, ſed natura cognita ſine omni ſingularitate abſtrahitur ab omnibus, quia abſtrahere eſt unum ſine alio cognoſci, ergo natura abſtracta ab uno individuo perindè ſe habet, ac ſi ab omnibus abſtraheretur, & eodem modo deſervire poteſt ad univerſalitatem naturæ vel formaliter conſtituendam, vel ſaltem proximè fundandam. Reſp. Ovvied. hos Auctores non attentè inſpexiſſe, quid ſit intellectum unum prædicatum ab alio abſtrahere, non enim abſtractio dicit tantùm unum ſine alio cognoſci, quando enim cognoſco animal non cognito lapide, non dicor abſtrahere animal à lapide; eſt ergo abſtrahere cognoſcere unum ſine alio, quod cum ipſo eſt identificatum, unde ab illo dicitur prædicatum abſtractum, ſine quo cognoſcitur, & cum quo identificatur; ex hac doctrina nedum ſolvit, ſed etiam argumentum retorquet, ſolvit concedendo naturam abſtractam ab uno individuo cognoſci ſine omni differentia, & negando abſtrahi per intellectum ab omni, ſed tantum ab ea, cum qua eſt identificata, abſtraheretur autem ab omnibus, ſi cum omnibus eſſet identificata. Retorquet deindè argumentum, quia de illo tantùm poteſt prædicari natura, quæ ſine differentiis individualibus cognoſcitur, cum quo realiter, & phyſicè identificatur, ſed natura quæ eſt in Petro, quantumvis cognoſcatur ſine differentiis individualibus realiter, & phyſicè tantùm identificatur cum Petro, quia abſtractio per intellectum non illi tribuit identitatem realem, quam in ſe non habet; ergo natura, quæ eſt in Petro, quantumvis cognoſcatur ſine omnibus differentiis, tantùm poteſt prædicari de Petro, & conſequenter deſervire non poteſt pro univarſalitate naturæ, quæ debet prædicari de omnibus, & ſingulis.

196 Sed quamvis relatum argumentum pro prima ſententia rectius confici poſſet, quam ab Hurtad. fiat, adhuc tamen ita confectum defendi poteſt a ſolutione, & impugnatione Ovvied. cum enim Auctores primæ ſent. ajunt naturam ab uno individuo abſtractam abſtrahi etiam ab omnibus, non hoc abſolutè aſſerunt, ſed cum quadam limitatione, quod nempe ita ſe habet, ac ſi præſcinderetur ab omnibus, quia, ut explicat Paſqualig. cit. ſect. 2. nu. 11. eo ipſo quod natura abſtrahitur explicitè ab uno individuo, implicitè quoque abſtrahitur à cæteris propter unitatem naturæ in omnibus inferioribus, ſiquidem natura quoad prædicata eſſentialia eſt una, & indiviſibilis eſſentia reſpectu omnium, undè cum ab uno individuo abſtrahitur tota eſſentia naturæ, abſtrahitur etiam totum id, quod dicunt cetera individua in ratione talis eſſentiæ relictis individuationibus; in hoc igitur ſenſu dicitur natura abſtracta ab uno tantùm individuo à cæteris etiam abſtrahi implicitè, quia eſt una, & eadem omnium natura ſaltem per indifferentiam. Quod amplius poteſt ſic declarari, natura dum ab uno tantùm individuo abſtrahitur, dicit totum eſſe formale naturæ ſecundum ſe, & totum illud involvit perindè, ac ſi abſtraheretur ab omnibus ſimul, quia dato quod ab omnibus ſimul abſtraheretur, nihil amplius abſtraheretur ſpectans ad eſſentiale eſſe naturæ, quam quod ſit abſtractum ab uno ſolo; ergo abſtractio naturæ ab uno ſolo æquivalet abſtractione ejuſdem ab omnibus ſimul, & in hoc ſenſu procedit argumentum adductum pro prima ſententia. Ex qua etiam doctrina reſponderi poteſt ad argumentum retortum, quia natura præciſa ab uno individuo poſt factam abſtractionem

nedum aptitudinem habet, ut ſit per identificationem in illo individuo, à quo eſt abſtracta, ſed etiam ut ſit in aliis ſaltem disjunctim, & hæc aptitudo non eſt remota, ſicut erat in ſtatu contractionis, ubi aderat impedimentum differentiæ contrahentis, ſed proxima, quia ablatum eſt impedimentum individuationis per abſtractionem; & ideò natura ſic abſtracta prædicari poteſt ſaltem aptitudinaliter, nedum de individuo, à quo abſtracta fuit, ſed etiam de aliis. Conf. ſolutio, quia natura abſtracta ab uno individuo caret omni individuatione, & conſequenter ſe habet per modum metaphyſicæ potentiæ proximè contrahibilis, & cum non habeat aliquam determinationem, ſe habebit etiam ut quid proximè indifferens, nec magis determinatum ad unum individuum, quam ad illud, ſicut ergo proximè contrahi poteſt per identitatem ad hoc, & illud, ſic etiam poterit de illis prædicari ſaltem aptitudinaliter.

197 Aliud argumentum pro prima opinione ad hoc; natura abſtracta ab uno individuo eſt prædicabilis de illo individuo, à quo fuit abſtracta; ergo de reliquis etiam individuis illi ſimilibus, & ſic non eſt magis prædicabilis de uno, quàm de omnibus; ergo præciſio naturæ ab uno individuo ſufficiens eſt ad conſtituendam, vel ſaltem fundandam univerſalitatem naturæ; probatur prima conſequentia, quia natura ſic abſtracta eſt poſitivè indifferens ad omnia individua, ad eaque applicabilis, nam poſt abſtractionem ab hoc individuo non plus eſt illius, quam aliorum quorumcunque ſimilium, alioquin non eſſet abſtracta. Reſp. Ovvied. cognitionem præſcindentem naturam ab uno individuo tantum attingere unum individuum, à cujus differentia dicitur naturam abſtrahere, & reliqua omnia nullo modo per ſeipſam reſpicere, & ideò de illis prædicari non poſſe, ſed tantùm de individuo, à quo abſtracta eſt. Sed hæc ſolutio reiicitur ex confutatione ſolutionis primi argumenti, imò ex ipſo ſecundo argumento, quia natura ab uno individuo ſemel abſtracta eſt, poſteà indifferens poſitivè ad cætera omnia, & per alias differentias proximè contrahibilis per identificationem cum illis; ergo de omnibus eſt proximè prædicabilis, prædicatio namque aptitudinalis ſuper talem aptitudinalem identificationem fundatur. Conf. quia ſi natura abſtracta à Petro eſt tantùm prædicabilis de Petro, ergo natura abſtracta tantùm à Petro, & Joanne, tantùm de Petro, & Joanne poterit prædicari; ergo ut natura poſſit prædicari de omnibus individuis debet ab omnibus adſtrahi. Reſp. Ovvied. has omnes conſequentias eſſe legitimas, & vera omnia conſequentia, & abſque formidine admittenda. Sed ſi Ovvied. abſurdum hoc non formidat, neſcio quodnam aliud formidare poſſit; quia ut intellectus poſſit unum abſtrahere ab alio, nedum formalitatem abſtractam cognoſcere debet, verum etiam id à quo abſtrahit, ut terminum à quo; ut ergo naturam abſtrahat ab omnibus individuis, nedum omnia individua ſub aliqua ſpecie exiſtentia cognoſcere debet, ſed etiam omnia poſſibilia, quod intellectui creato eſt planè impoſſibile.

198 Ut tamen quid ſentiam in hac dubitatione aperiam, arbitror hanc concertationem eſſe non poſſe, niſi de ſolo nomine, quia utraque pars aſſeri poteſt, nempe naturam, quæ fieri debet univerſalis, & ab uno ſolo individuo abſtrahi poſſe, & à pluribus, ſi res citra confuſionem declaratur; ſi enim ſermo ſit de individuis actu exiſtentibus, certum eſt neceſſariam non eſſe individuorum pluralitatem, ut ab illis natura abſtrahatur, & æquè benè poſſe ab uno ſolo abſtrahi, ſicut a pluribus, ut dixi diſput. 4. Log. qu. 2. art. 1. in ſolutione primi argumenti ad ultimum Confirm. alioquin natura ſolaris univerſalitatem fundare non poſſet, cum non niſi unum exiſtit individuum in tali natura; at ſi de individuis non tantùm exiſtentibus ſed etiam poſſibilibus ſit ſermo, tunc utique neceſſaria eſt ad abſtractionem naturæ individuorum pluralitas, quod evidenti convincitur ratione, ut enim intellectus naturam abſtrahat ab individuatione, opus eſt ut prænoſcat diſtinctionem formalem, vel ſaltem virtualem naturæ ab illa, quia ut dictum eſt, præciſio vel eſt idem quod diſtinctio, vel ſaltem in diſtinctione fundatur, ideò autem talis diſtinctio inter naturam, & individuationem percipitur ab intellectu, quia novit eandem naturam, quæ reperitur in uno individuo reperiri etiam in alio, aut ſaltem reperiri poſſe, non verò idem eſſe individuale; cum igitur talem diſtinctionem percipere nequeat intellectus, niſi facta collatione plurium individuorum adinvicem, vel actu exiſtentium, vel ſaltem poſſibilium, & ſine cognitione ſimilitudinis inter ea verſantis, ſequitur a primo ad ultimum in hoc ſenſu ad abſtractionem naturæ, in qua plura conveniunt individua neceſſariam eſſe individuorum pluralitatem, ſimilitudo ſiquidem ſive actualis, ſive poſſibilis non niſi inter plura verſari poteſt, quia nihil eſt ſimile ſibi ipſi. Conf. quia intellectus noſter ſaltem pro ſtatu iſto nequit colligere communicabilitatem naturæ, & iſtam ab eſſe individuali ſecernere ratione hujus communicabilitatis niſi facta comparatione inter individua quoad eorum ſimilitudinem, & conformitatem, ergo pluralitas individuorum in hoc ſenſu præire debet abſtractioni naturæ, ut ejus fundamentum.

199 Denique facta comparatione plurium individuorum adinvicem in ſimilitudine naturæ, cujus ductu percipiat intellectus diſtinctionem vertentem à parte rei formaliter, vel ſaltem fundamentaliter inter naturam, & individuationem poteſt intellectus ad libitum naturam abſtrahere ab illis pluribus, vel ab uno dumtaxat illorum non concipiendo ejus individuationem, & natura ſic abſtracta poterit univerſalizari, quia ut ſic habet unitatem præciſionis, & in tali ſtatu gaudet indifferentia poſitiva ad eſſendum in pluribus, & conſequenter eſt apta nata prædicari de pluribus; undè in tali ſtatu vel eſt actu univerſalis, vel ſaltem proximum fundamentum univerſalitatis juxtà varietatem opinionum de univerſalitate naturæ, de qua qu. ſeq. patet igitur quomodo iſta convertatio inter Recentiores ſit de nomine magna ex parte, & quod in uno, vel altero ſenſu poteſt utraque pars problematis ſuſtineri. Et cum hæc omnia concedat quoque Paſqualig. loc. cit. ſect. 2. & ultrò fateatur nullo modo abſtrahi poſſe naturam nec ab uno, nec à pluribus individuis, niſi præceſſerit comparatio, qua fuerint individua inter ſe collata, ubi & meritò reprehendit Suarez oppoſitum dicentem diſp. 6. ſect. 6. num. 11. non video cur poſteà hac præmiſſa doctrina aſſertivè teneat alteram problematis partem, nempè opus non eſſe, quod abſtrahatur natura à pluribus individuis, ſed ſufficere quod abſtrahatur ab uno tantùm, potius enim ad conſequenter loquendum dicere debebat utramque problematis partem in alio, & alio ſenſu poſſe defendi, ut nos ſtatuimus.

QUÆSTIO IX.

Quid ſit unitas univerſalis, & in quo ſtatu naturæ conveniat.

200 UT videamus quid re vera ſit unitas univerſalis, & an ſit unitas realis, vel rationis, videndum eſt quid ſit univerſale in actu, & formaliter, quod apud omnes cenſetur univerſale verè, & propriè dictum; & quidem ab omnibus, & in omni Schola acceptata videtur definitio, quam de univerſali in hoc rigore Doctor indicavit 1. Met. q. 6. n. 5. & lib. 7. q. 13. n. 9. & clariſſimè expreſſit 2. diſt. 3. q. q. 1. §. *Sed contrà* lit. H. *Univerſale in actu eſt illud, quod habet unitatem indifferentem, ſecundum quam ipſum idem eſt in potentia proxima, ut dicatur de quolibet ſuppoſito prædicatione dicente hoc eſt hoc*, quam deducit ex Ariſtot. 1. Poſt. 25. dum ait univerſale eſſe, *quod eſt unum in multis, & de multis* quod expoſitores paſſim interpretantur de eſſe in, & dici de, vel in actu, vel ſaltem in aptitudine proxima, & potentia propinqua, ſiquidem potentia remota ad eſſe in multis, & dici de multis non ſufficit ad conſtituendum univerſale in actu, & formaliter, ut hic de eo eſt ſermo, ſed in potentia tantùm, & fundamentaliter, quod cum ex profeſſo declaratum ſit diſp. 4. Log. q. 1. art. 2. alia ad hoc propoſitum hìc ſuperaddere non oportet.

201 Præterea diſtingui ſolet apud omnes univerſale in phyſicum, metaphſicum, & logicum, per univerſale phyſicum intelligunt naturam in ſingularibus exiſtentem cum ſua unitate formali, quæ eſt minor nnmerali, per metuphyſicum intelligunt naturam, cum per opus iutellectus abſtrahitur, & exuitur differentiis, & induitur unitate præciſionis; denique per univerſale logicum intelligunt eandem naturam affectam ſecunda intentione univerſalitatis, per quam ad inferiora refertur in ratione ſuperioris, & prædicabilis; verum eſt tamen antiquiores primum membrum omiſiſſe, & ſolùm diſtinxiſſe univerſale in logicum, & metaphyſicum, illud appellabant univerſale formale, hoc autem fundamentale quod preindè rurſus diſtinguebant in fundamentum univerſalitatis proximum, & remotum, remotum appellabant naturam in ſtatu contractionis per differentiam a parte rei, proximum appellabant eandem naturam in ſtatu abſtractionis per intellectum a conditionibus individuantibus, ut videre eſt apud noſtros Pariſienſes tract. univerſ. qu. 1. Barg. & Viger. 1. d. 3. q. 6. Ant. And. 7. Met. qu. 18. & Scotum ipſum ibid. Tromb. qu. 8. & 9. Zerb. qu. 17. undè univerſale phyſicum comprehendebant ſub univerſali metaphyſico remoto, & quidem ſatis rationabiliter, ut dixi diſp. 4. Log. cit. qu. 2. art. 2. in fin. quia apud veteres per univerſale, & genus phyſicum materia prima conſuevit intelligi; undè magis errant quidem Recentiores, qui in præfata univerſalis diviſione tertium ommittunt membrum, quod eſt principalius inter omnes, ſcilicet logicum, aſſignantes ſolùm univerſale phyſicum, & metaphyſicum, ut eſt videre apud Paſqualig. tom. 2. Metaph. diſput. 18. ſect. 3.

ARTICULUS I.

Quodnam ſit univerſale propriè dictum.

202 MOdò eſt difficultas, cuinam univerſali conveniat aſſignata ratio univerſalis propriè, & formaliter dicti; Paſqual. loc. cit. affirmat convenire univerſali metaphyſico, undè definitionem univerſalis in actu à Scoto allatam ipſe applicat univerſali metaphyſico, idque aſſerit, tanquam de mente Doctoris. Alii, & eſt communis opinio, affirmant convenire dumtaxat univerſali logico, & de hoc locutum eſſe Doctorem loc. cit. quem dicendi modum ego quoque tradidi diſp. 4. Log. cit. q. 1. art. 2. Meuriſſe lib. 2. ſuæ Met. cap. 3. qu. 5. inquit eam definitionem nec convenire univerſali metaphyſico, nec logico, ſed cuidam univerſali ex utroque mixto, quod vocat metaphyſilogicum, & involvit tam materiale, quàm formale univerſalitatis, eſtque natura ut præciſa per intellectum à conditionibus individuantibus, & ut affecta ſecunda intentione univerſalitatis, per quam refertur ad inferiora in ratione ſuperioris, & prædicabilis; & hoc ait eſſe univerſale propriè, & formaliter dictum, de quo loquitur Doctor, & ſubdit neminem imaginari debere univerſale illud actuale, quod fit per actionem comparativam intellectus eſſe univerſale ſimpliciter pro formali ex mente Scoti, quia ex doctrina ejus univerſale illud actuale ita habet eſſe in multis, & dici de multis, ut quodlibet ſit ipſum, quomodo quodlibet individuum naturæ humanæ eſt homo; at univerſale pro formali non ita ſe habet ad multa, ut quodlibet ſit ipſum, non enim quodlibet individuum naturæ humanæ eſt ſpecies ſed homo. Alii tandem Scotiſtæ fatentur quidem ſolum univerſale logicum eſſe univerſale propriè, & formaliter dictum, ſed diſtinguunt duplex univerſale logicum unum per ſe, & aliud per accidens; univerſale logicum per ſe eſt tantùm ſecunda intentio fundata in natura communi, ipſa verò natura communis illi ſubſtrata eſt tantùm univerſale logicum per accidens, & ratio eſt, quia ſola ſecunda intentio per ſe conſideratur à logico, & per accidens ſolùm res intentioni ſubſtrata; & quia vident definitionem univerſalis in actu allatam à Scoto potius convenire naturæ, ut ſubſternitur ſecundæ intentioni univerſalitatis, quam ipſi intentioni, ob rationem allatam à Meuriſſe, ideò dicunt Doctorem ibi non definire univerſale per ſe logicum, cum hoc ſit tantùm ſecunda intentio, ſed univerſale logicum per accidens nempe naturam univerſalitati ſubſtratam.

203 Dicendum tamen eſt, ſolum univerſale logicum eſſe univerſale verè, & propriè dictum, eique præfatam definitionem convenire non metaphyſico, & de ipſo loqui Doctorem loc. cit. & ſub nomine univerſalis per ſe logici comprehendi nedum ſecundam intentionem univerſalitatis in concreto ſumptam, ideſt ut denominat naturam ſumptam pro prima intentione, ſed ipſam naturam ſubſtratam, ut denominatur ab ea. Probantur, & explicantur ſingula, & quidem in primis, quod univerſale logicum ſit univerſale verè, & propriè dictum probatur, quia apud Philoſophos analogum, quale eſt univerſale, ut ſic, ad logicum, phyſicum, & metaphyſicum ſtat ſemper pro principali analogato; ſed in communi modo loquendi ad prolationem hujus nominis *univerſalis*, venit in mẽtem univerſale logicum, quod ad inferiora refertur in ratione ſuperioris, & proximè prædicabilis. Tum quia univerſale verè, & propriè dictum cenſetur id, quod eſt univerſale in prædicando, ſed per id intelligitur univerſale logicum, cujus proprium eſt prædicari, non verò metaphyſicum, quod dicitur ſolum univerſale in eſſendo, nec habet rationem totius potentialis in ordine ad inferiora, ſed potius partis contrahibilis per differentiam ad faciendam compoſitionem metaphyſicam. Tum quia univerſale propriè dictum apud omnes cenſetur illud, quod eſt univerſale in actu, & non tantùm in potentia, quod eſt completum, non verò incompletum, & inchoatum, & proindè habet ſuum eſſe perfectum ſolùm per operationem intellectus, ut Doctor notat 7. Met. q. 13. n. 19. & loc. cit. 2. diſt. 3. qu. 1. H. ſed ſolùm univerſale logicum gaudet inter omnia his conditionibus; metaphyſicum enim eſt incompletum, non completum, quia ejus univerſalitas compleri poteſt per intentionem logicam adhuc ſupervenientem; item habet aliquo modo eſſe à parte rei, & non præciſè per operationem intellectus, ergo ſolùm univerſale logicum eſt univerſale verè, & propriè dictum.

204 Secundò quod ei ſolùm competat allata definitio poteſt eiſdem probari rationibus, nam in omni Schola per univerſale in prædicando intelligi ſolet univerſale logicum, & non metaphyſicum, ſiquidem prædicari proprium eſt ſecundarum intentionum non primarum. Tum quia univerſale metaphyſicum etiam conſideretur ſub unitate præciſionis, quando nimirum natura eſt abſtracta per intellectum à ſingularitate, non adhuc habet rationem univerſalis in actu, ſeu proximè prædicabilis de inferioribus, quia vel in eo ſtatu concipitur ſolùm per modum partis potentialis, & contrahibilis, & ſic non habet rationem univerſalis, quia non reſpicit differentiam, ut inferius de quo prædicari poſſit, ſed ut aliam compartem, à quà poſſit determinari; vel ſi in eo ſtatu concipitur ut totum quoddam, planè non concipitur ut totum poteſtativum diviſibile in plures partes ſubjectivas, de quibus eſt prædicabile, ſed potius ut totum quoddam actuale, ideſt in ordine tantùm ad ea attributa, quæ actu continet, & quoad ſua prædicata eſſentialia, & ſic potius cencipitur, ut natura ſubiicibilis, quam ut prædicabilis. Tum quia id totum concedit Paſqual. cit. nu. 4. nimirum naturam etiam ab individuatione abſtractam tunc habere rationem partis contrahibilis, & potentiæ metaphyſicæ per differentiam actuabilis, ergo in tali ſtatu non habet rationem univerſalis in actu, nec ſuperioris in ordine ad inferiora, ut ipſe contendit ibidem. Tum quia in quæſtionibus quæ pertinet ad modum loquendi tenendus eſt communior, ac magis receptus loquendi modus, ne excitetur quæſtio de nomine, ut notat Doct. 9. Met. q. 6. §. *contra hanc opinionem*, & 3. d. 1. qu. 1. M. & 4. d. 2. qu. 1. & alibi frequenter; ſed per univerſale in actu, formale, & completum; quod eſt prædicabile de pluribus vel actu, vel potentia proxima, in omni ſchola intelligitur univerſale logicum, non metaphyſicum, ut teſtantur Compl. diſp. 3. log. q. 6. in fine, ergo &c. Tum quia etiamſi univerſale metaphyſicum, ut ſignificat naturam à ſingularibus abſtractam, & ſub unitate præciſionis conſideratam, habeat ſolùm eſſe per actum intellectus, ut contendit Paſqualig. hoc tamen habet per actum abſtractivum intellectus, non verò collativum; ſed univerſale in actu, & completum, quod eſt actu, vel potentia proxima de inferioribus prædicabile accepit eſſe per actum collativum, non verò abſtrativum, ut probatum eſt diſp. 4. cit. log. qu. 3. ergo hujuſmodi univerſale non eſt metaphyſicum, ſed logicum.

205 Tertiò quod Doctor loc. cit. loquatur de univerſali logico, & non metaphyſico, cum inquit univerſale in actu eſſe illud, quod habet unitatem indifferentem, ſecundùm quam ipſum idem eſt in potentia proxima, ut dicatur de quolibet ſuppoſito, probatur ex ipſo Scoti diſcurſu in ea quæſtione, nam §. *ad quæſtionem*, lit. E. loquitur de univerſali metaphyſico, cùm ait, naturam de ſe nec univerſalem eſſe actu, nec particularem, & licèt realiter nunquam ſit ſine aliquo iſtorum, non tamen eſt de ſe aliquod iſtorum, ſed eſt prius naturaliter omnibus iſtis, & ſecundum iſtam prioritatem naturalem eſt quodquid eſt, & per ſe objectum intellectus, & per ſe, ut ſic conſideratur à Metaphyſico, quibus verbis expreſſe docet univerſale metaphyſicum eſſe naturam ſecundùm ſe conſideratam, ut præſcindit à ſingularitate, & univerſalitate actuali, non ergo de mente Doctoris univerſale metaphyſicum eſt univerſale in actu, ſed tantum in potentia, quando ergo poſtea §. *ſed contrà*, lit. H. definit univerſale in actu, & completum, non loquitur de univerſali metaphyſico, quia de hoc ſupra locutus erat, & dixerat non eſſe univerſale in actu, ſed loquitur de univerſali logico deducens ejus definitionem ex libris logicalibus Poſteriorum.

Dices, Scotum ibi appellare univerſale in actu, & potentia proxima, dicibile de pluribus, quod eſt abſtractum a ſingularibus, & habet unitatem præciſionis, ſed hoc eſt univerſale metaphyſicum, quod per hoc diſtinguitur à phyſico, quia hoc dicit naturam cum differentia concretam à parte rei, illud verò dicit naturam à quacunque differentia abſtractam, & præciſam per opus intellectus ſive agentis, ſive poſſibilis juxtà varietatem opinionum; ergo ibi loquitur de univerſali metaphyſico, & illud ibi definit. Reſp. Scotum ibi appellare univerſale in actu naturam abſtractam à ſingularibus, tanquam fundamentum proximum univerſalitatis in actu, non vero quod ipſa, ut ſic præciſè conſiderata ſub tali abſtractione, & unitate præciſionis; ſit univerſale in actu, completum, & formale, quia ibi diſertè docet, naturam in tali complemento conſtitui, & formaliter, & actu univerſalizari non per abſtractionem à ſingularibus, ſed potius illam concernendo per modum ſuperioris, & prædicabilis, qui quidem reſpectus rationis prædicabilitatis ſicut ad logicum ſpectat, & non ad metaphyſicum, ita facit quod univerſale in actu, & potentia proxima prædicabile de pluribus ſit univerſale logicum, & non metaphyſicum; & cùm è contra ad metaphyſicum ſolùm ſpectet conſiderare naturam, vel negativè præciſam à ſingularitate, quo pacto ſe habet à parte rei, quatenus adhuc in tali ſtatu natura non includit eam in ſua ratione formali, vel etiam poſitivè, quatenus per intellectum abſtrahentem accipit poſitivam indifferentiam, & poſitivè denudatur à conditionibus individuantibus, ideò naturam ſub hoc utroque ſtatu univerſalis ſolùm metaphyſicè dici poteſt, & ſolùm univerſalis in potentia, remota quidem ſub ſtatu præciſionis negativæ a parte rei, proxima verò ſub ſtatu præciſionis poſitivæ apud intellectum; & hoc eſt, quod vult dicere Doctor, cum ait ſub lit. I. quod etiamſi concederetur abſtractionem naturæ à conditionibus individuantibus fieri per opus intellectus agentis, & non poſſibilis, ut plerique volunt, adhuc tamen non eſt verum intellectum agentem facere univerſalitatem in rebus, quia natura nunquam eſt univerſalis in actu, & in potentia proxima, ut dicatur de quolibet ſuppoſito, niſi ut eſt in intellectu poſſibili, eam ad inferiora conferente per modum ſuperioris, & prædicabilis; per quod manifeſtè ſignificat Doctor naturam præciſè conſideratam, ut abſtractam à ſingularibus, & ſub unitate præciſionis eſſe univerſalem tantùm metaphyſicè, ac in potentia, non verò in actu, & completè.

Benè tamen verum eſt, naturam ſub tali abſtractione conſideratam à conditionibus individuantibus, & ſub unitate præciſionis eſſe in potentia proxima ad recipiendam relationem univerſalitatis formalis, & actualis, quia in tali ſtatu intelligitur habere indifferentian poſitivam, quatenus ad nullum individuum intelligitur determinata, ubi in ſtatu contradictionis ob differentiam adjunctam dicebatur tantùm in potentia remota ad fundandam relationem univerſalitatis, eo quia in tali ſtatu non habet, niſi indifferentiam privativam: in quo puncto hallucinati ſunt aliqui, & præſertim Paſqual. loc. cit. aliud enim eſt naturam in ſtatu præciſionis objectivæ eſſe in potentia proxima ad prædicari de pluribus prædicatione dicente, hoc eſt hoc, & aliud eſſe in potentia proxima ad recipiendam, & fundandam univerſalitatem formalem, & actualem, hoc ſecundum utique verum eſt, & gratis concedimus, ſed non primum; & hoc eſt, quod Paſqual. fefellit, quia unum ab alio non diſtinxit, idemque putavit eſſe naturam eſſe in potentia proxima ad prædicari de pluribus, & eſſe in potentia proxima ad fundandam relationem univerſalitatis formalis, & actualis quæ duo confundi minimè debent, quia primum facit naturam actu univerſalem, ſecundum verò efficit, quod ſit, vel eſſe poſſit fundamentum proximum univerſalitatis formalis, & actualis.

206 Quartò ulterius probatur nedum intentionem ſecundam univerſalitatis in natura communi fundatam, ſed etiam naturam ipſam, ut ſubſtat tali intentioni, poſſe, ac debere dici univerſale per ſe logicum, & non tantùm per accidens, ut dicebant illi Scotiſtæ moti auctoritate Doctoris quæſt. 3. univerſ. in fine, ubi naturam intentioni ſubſtratam vocat ens per accidens, quatenus eſt aggregatum ex diverſis naturis. Id autem declaratur ex Lich. 2. diſt. 3. quæſt. 1. §. *ibi ſed contra*, ubi ait, quod natura ſub ratione relationis ad inferiora per ſe prædicatur de illis, non quidem quatenus eſt ens per accidens ex natura, & relatione conſtitutum, ſed tantum per rationem naturæ, quæ eſt unum ens per ſe, quæ tamen prædicari non poteſt, niſi actu ſit ſub tali relatione rationis; adeout natura ipſa prædicatur, ut ſubſtat intentioni, non quidem tanquam